

DUBIUM IV.

An eadem virtus moralis possit subiectari in diversis potentijs?

Procedit dubium, ut optimè notant N. Salmant. de unitate specifica virtutis, nam eandem numero subiectari in potentijs realiter distinctis dicit in via Thomistarum apertam implicationem, iuxta doctrinam Complut. de Gener. disp. 14. quæst. 4. Igitur restringitur difficultas ad inquirendum: Verum duæ virtutes eiusdem speciei possint esse simul in unico supposito? supponendo, ut debet supponi, non posse in eo dari duas potentias solo numero distinctas, sed omnes debere distingui specie inter se. Notat præterea D. Thomas in præf. art. 2. solum posse disputari, an possint dari ex æquo: nam inveniri in una potentia principaliter, & in alia minus principaliter & participative, certius est, quam videatur vocari in dubium, & aperit contabit ex dicendis. Unde revocatur difficultas ad primam acceptionem, et est in fronte huius secundæ disputationis enodetur a N. Salmant. consulto tamen à nobis propter aliqua ei admittenda collocatur in præfati loco.

§. I.

Communis Sententia;

24 Dicendum est, implicare contradictionem virtutes eiusdem speciei in diversis potentijs existere, ac proinde repugnant, quod si voluntati inest humilitatis virtus, alia eiusdem speciei cum priori sit in intellectu, aut appetitu. Assertio hæc est omnium Thomistarum, utpote expressa Angelici Præceptoris in præf. art. 2. & quæst. 60. art. 9. ex quibus locis N. Salmant. format hoc vnicum ratiocinium probativum nostræ conclusionis.

Nam implicat, virtutes diversa obiecta formalia respicientes esse eiusdem speciei: sed virtutes, quæ in diversis potentijs existunt, nequeunt non respicere diversa obiecta formalia: ergo nequeunt non esse diversa speciei. Consequentia legitime inferit. Et maior est supponenda, cum non aliunde habitus operativi quales sunt virtutes morales, possint, & debeant unitate, & diversitatem formalem desumere, quam ex obiectis formalibus. Minor verò probatur: nam virtus, in quacunque potentia existat, debet necessario specificari ab obiecto formali illius potentie saltem extensivo: sed obiecta formalia distinctarum potentiarum essentialiter in esse obiecti distinguuntur, alias potentie non essent specie diversa: ergo nequeunt non res-

picere obiecta formaliter diversa virtutes, quæ in diversis potentijs hominis existunt.

25 Ratio hæc est adeo convincens, ut facile præclaudat evasiones ipsi adhibitas. Et ut clarius innoteat: Respondebis, negando esse univèrsaliter verum, virtutes habere pro obiecto formali obiectum potentie, in qua est. Cuius ratio est: quia virtus, utpote descendens ex potentia superiori iuxta à nobis sæpius dicta, debet habere pro obiecto formali, quod habet potentia, à qua est ipsa virtus; & potentia superior habet distinctum obiectum formale, ac potentia inferior virtutis susceptiva. Et ut vergetur hæc evasio ex his, quæ nos concedimus, afferentes virtutem existentem in una potentia posse participare modum alterius virtutis existentis in alia potentia, v. g. virtutes existentes sive in intellectu, sive in appetitu posse participare modum charitatis, quæ residet in voluntate, non in ordine ad propria obiecta, sed in ordine ad proprium obiectum ipsius charitatis.

Hæc autem evasio nostra ratione manet præclusa, si recte intelligatur. Quæ potest iterum reintegrari: nam virtus recepta in aliqua potentia non participative, sed principaliter & completè recipitur in ea tanquam vera, & propria forma illius potentie, in qua est: sed forma hoc modo recepta in potentia nequit eam extrahere extra suum obiectum specificativum, sub quo comprehenditur obiectum proportionatum & improporionatum: ergo nequit respicere pro obiecto obiectum potentie, à quo descendit, sed obiectum potentie, in qua est. Maior videtur notari: siquidem virtute, sicut & habitu virtutis potentia, prout vult; quod non posset fieri, nisi reciperetur per modum formæ propriæ potentie, in qua est. Minor verò probatur: nam potentia non virtutis forma propria, nisi per ordinem ad proprium obiectum; & hæc ratione, quantumvis lumen gloriæ elevet intellectum, non extrahit illum à proprio obiecto formali, idemque evenit charitati in voluntate receptæ: ergo si virtus sit forma propria potentie, in qua est, nequit extrahere eam ob obiecto proprio ipsius potentie.

Per quod evanescit vrgentia: Nam dum una virtus residens in una potentia est in alia tantum participative, & per quandam modum incompletum, non est in illa per modum formæ propriæ; cuius signum est, quod potentia inferior non virtutis participatio ad notum, sed ad notum virtutis superioris, seu potentie, in qua existit, ut ex se liquet: ergo non est in convenienti, quòd extrahat virtutem sic modificatam, & potentiam, in qua est, ad obiectum potentie, & virtutis superioris. Hacque eadem ratione nullum est inconveniens in eo, quòd potentia aliqua elevetur per aliquam virtutem instrumentariam ad actum, qui non continetur intra commensurationem essentiali, quia non re-

Dub. IV. An eadem virtus moralis possit subiectari in diverso &c?

recipitur in ea tanquam in forma propria, ut alibi diximus.

§. II.

Aureoli argumenti occurfus.

26 PRO sentia contraria, quæ, ut supra refert Capreolus, attribuitur Aureoli in 3. dist. 33. Arguitur primò: Nam virtus existere debet in potentia illa, quæ elicit actum ipsius virtutis; sed duæ potentie specie distincte elicere possunt actus virtutis eiusdem speciei: ergo eadem in specie virtus existere potest in potentijs specie diversis. Maior est omninò constans: alias naterent omnia hucusque stabilita, si virtus non esset in potentia actus virtutis elicitive. Ergo minor probatur: nam oratio, quæ iuxta D. Thomam 2. 2. quæst. 83. art. 1. est actus intellectus, est etiam actus religionis iuxta doctrinam eiusdem Angel. Præcept. art. 3. quæst. citatæ, & non utrumque, sed elicitive, ut tenet idem Magister Angel. 4. dist. 15. quæst. 4. art. 1. quæstione. 2. sed religio est virtus voluntatis, ut supponunt omnes Thomistæ. ergo cum existere debeat in intellectu, à quo elicitur actus orationis, erit proinde in potentijs specie distinctis.

Pro breviori (quoad fieri possit) solutione argumetum propositi, quod sanè est difficile. Notandum est, religionem, quam merito N. Thomistæ supponunt in voluntate subiectari, habere pro obiecto formali exhibere Deo cultum, reverentiam, & submissionem ob suam summam excellentiam, quæ pollet, quatenus est rerum omnium principium. Ex quo fit, quòd in obiecto religionis sunt consideranda cum Div. Thom. 2. 2. quæst. 81. art. 5. & cultus Dei, seu materia, in qua exerceatur, quæ semper est aliquid creatum; & Deus ipse, in quem ut finem cui proximum religio per actum proprium, id est, devotionem, cultum dirigit. Unde omne, quod Deo religio consecrat, seu offert ob motivum supra assignatum, dicitur quodammodo elici à religione, sed non illa proprietate, qua actus proximus devotionis, sed large, quatenus mediante eo, cuiusmodi potentia actus sit, in finem religionis ordinatur.

Hinc ad argumentum facile responderetur explicando præmissa: Nam maior est vera, si intelligatur de elicientia primaria virtutis, secus autem de secundaria: de qua elicientia primaria nequit verificari minor, & sic debet negari. Et probatio maioris etiam debet distingui: nam, concessio orationem esse propriè actum intellectus, debet negari, primario à religione elici, sed præcisè large & secundario, quatenus medio actu devotionis proxime à religione elicitio derivatur in intellectum quidam modus à virtute religionis, ut oratio, quod secundum se est in-

Paul. T. be. al. Salm. Tom. II.

differens, ordinetur in finem religionis, & similiter de alijs indifferentibus est philosophandum. Hoc est orationem à religione elici: Ad quod, ut vides, non est necessarium eam in intellectu existere, sed præcisè in voluntate.

27 Sed replicabis: Nam ex hac solutione sequitur, religionem ex vi sui actus locutionem intellectus ordinare in proprium finem esse idem ad intentum, ac charitatem actu suo dirigere virtutes, earumque actus in finem ipsius charitatis; sed charitatem ita se gerere non est elicere actus aliarum virtutum, sed præcisè imperare, ut sæpe docet D. Thomas, & ex eo N. Salmant. tr. 19. disp. 7. à n. 48. ergo aliquid speciale intendit D. Thomas, dum ait, actum orationis elici à religione; vel vtraque virtus eliciet, vel vtraque imperabit. Et confirmatur. Nam illud, quod devotio intellectui præstat, ut eliciat actum orationis reatum, Deoque subordinatum, erit religionis virtus, vel quodam vigoro sitas, quæ actuum repetitione possit in virtutem prodire: ergo erit virtus religionis, cum in eius obiectum inclinet: ergo saltem ex hoc capite dabilis est duplex religio, una principalior in voluntate, & altera ex illa derivata in intellectu.

Replicæ responderetur; negando sequelam maioris. Nam tunc virtus dicitur imperare alijs, quando in eis supponit aliam speciem virtutis, quæ sit principalis, & primaria: Nam in eo eventu species, quam virtus movens potentie inferiori imprimi, est accidentalis & secundaria, etò forte sit excellentior, tam in esse rei, quam in esse virtutis. Tunc verò dicitur elicere etiam actus potentie externæ, quando in illa nullam reperit rectitudinem, sed ab ipsa præstita licet in esse rei sit accidentalis, in esse virtutis est essentialis & primaria. Hoc ergo est discrimen inter religionem relate ad orationem, & charitatem relate ad alias virtutes, quòd religio in oratione secundum se nullam rectitudinem de linea virtutis supponit, & propterea specialitè aliquo titulo dicitur ab ea elici. Oppositum autem evenit in imperio charitatis, ex suppositione quòd alias virtutes in potentijs à se imperatis supponat, sicut ipsa supponit. Si verò finis contrariarum, utique eliciet, sicut religio orationem.

Ad confirmationem responderetur, id quod religio in intellectum derivat, solum esse quoddam participium, & quasi vicegerens religionis, simile motioni, quam cause principales instrumentis imprimunt, ut agant eorum nomine, Et quantumvis ex eo multiplicentur actus intellectus, nullum habitum de novo generant, sicut generatur ex motione illa, quam ex potentia superiori diximus disp. præced. descendere in inferioriorem. Et ratio disparitatis est: quia participatio potentie superioris ibi insinuata est in or-

Yyy

di

dine ad obiectum proprium potentia inferioris, & non in ordine ad obiectum potentie superioris, vt liquet in voluntate, vt mota ab intellectu ad actus iustitiae: & hac ratione ex repetitione actuum potentia inferioris in virtute motionis a potentia superiori decisa potest generari habitus virtutis. At vis illa proveniens a religione, & recepta in intellectu non est in ordine ad obiectum proprium intellectus, sed in ordine ad id, quod est proprium voluntatis. Vnde factus erit, quod virtus resideat in voluntate, & quidam modus illius in intellectu. Vide N. Salmant. nam. 14.

23 Sed vergebis: Nam religio principalis est intellectus, quam in voluntate: ergo si in voluntate concedimus religionem, quae sit vere virtus, duplex virtus eiusdem speciei erit in intellectu, & voluntate. Antecedens probatur: nam id, quod est in voluntate ad eligendum operari recte in appetitu, ideo non est virtus, quia in ea non consummatur opus, sed in appetitu; sed religio consummat opus virtuosum in intellectu: ergo religio principalis est in intellectu.

24 Et confirmatur: Nam D. Thomas in hac quaest. art. 4. docet, quod, quando duplex potentia concurrat ad vnum actum, vtraque debet esse perfecta, & ad eum bene disposita; ex quo deducit, quod, cum actus appetitus dependat a duplici potentia, ab eo, scilicet, & voluntate, in vtraque debet rectificatio supponi, sed potissimum in appetitu, vbi consummatur opus: ergo similiter cum actus orationis a voluntate, & intellectu procedat, in vtraque potentia debet rectificatio supponi, sed principalis in intellectu, vbi oratio ultimata completur.

Respondetur ad vtgentiam, negando antecedens. Cuius probatio facile evanescit, si consideres dupliciter posse voluntatem, & eius habitum versari circa alias potentias, & sedando, reducendoque ad se suos motus, vt ipsis peccatis postea voluntas bonum proprium eligat: Et quod hoc modo procedit, non operatur per virtutem, siquidem potius intendit, vt alie potentie non operentur malum sui boni impedivum: & huius generis sunt habitus, de quibus egimus dud. preced. Secundo voluntas taliter alias potentias potest respicere, vt postquam proprium opus sine contradictione consummaverit, bonitatem illius exuberantia in eas derivat: & hoc modo operandi sane ex virtute operatur, & alie non nisi ex quadam participatione illius. Et hoc modo religio intellectus orationem rectificat. Vnde non oportet, hanc virtutem ponere in intellectu, sed in voluntate.

Doctrina D. Thomae in confirmatione allegata est universaliter vera, sed applicari debet iuxta praesentiam solutionem; itaut si potentia incipiens non potest sine operatione recta opus sequenti vndequeque perficere (vt accidit vo-

luntati intendenti reducere appetitum ad rationem, sine qua reductione intelligi nequit opus suum absolute bonum) tunc in potentia vitiosa debet virtus subiectari, in incipiente autem, quasi iniciative. Si vero potentia incipiens potest sine secunda totam suam perfectionem habere, quamvis voluntarie possit secundam perficere, tunc in incipiente virtus residet specialiter, in alijs participative. Hoc posteriori modo religio ad intellectum se habet. Vnde nihil contra nos.

29 Arguitur secundum plurimum virtutum instantis, quae subiectantur in voluntate, & in appetitu: huiusmodi sunt humilitas, studiositas, fortitudo, liberalitas, magnificentia, & similes, quae nequeunt non esse eiusdem speciei: ergo defectus in diversis potentijs reperiuntur virtutes eiusdem speciei.

Ad hoc argumentum est generalis, & sufficiens solutio negare assumptum: Nam dato, quod praedictae virtutes recipiantur in voluntate, & appetitu, eo ipso sunt speciei diversae ob motivum nostrae assertionis. Quod nullo exemplo potest debilitari. Qui autem velit scire in speciali obiecta earum, prout in vtraque potentia recipiuntur, & illorum distinctionem formalem, recolat N. Salmant. in praef. ad num. 52. & in suo facis ingenioso arbore Virtutum verbo vnicuique virtutis ex relatis.

DUBIUM V.

Utrum dentur defectus Virtutes morales supernaturales, & per se infusae, quae in appetitu subiectantur?

30 Merito hoc dubium duobus praecedentibus proxime anneximus, quia conducit ad declarandum subiectum virtutum. In quo vnum supponimus, & tria inquirimus. Supponimus enim tanquam fidei dogma, praeter virtutes morales acquiras esse quasdam alias a Deo infusas, nempe, Theologicas, quae sunt fides, spes, & charitas: quia ista docet expresse Trident. sess. 6. cap. 7. vbi haec habentur: *In ipsa iustificacione cum remissione peccatorum haec omnia infusa simul accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fides, spes, & charitatem.* Difficultates circa earum naturam suborientes remittimus viquead proprios earundem tractatus.

Et primo inquirimus: An praeter virtutes theologicas dentur morales, quae sint entitativae supernaturales? Secundo: An quaedam ex illis resideant in appetitu sensitivo, tanquam in proprio earum subiecto? Tertio: An possint acquiri nostris actibus? Quae omnia sub vno dubio complectimur breviter gratia. Pro quo nota, bifariam posse dici aliquam virtutem infusam: primo per se, quatenus posuit a solo Deo infundi, & a nulla causa creata potest produ-

luci, & huiusmodi sunt in omnium sententia fides, spes, & charitas. Secundo per accidens, quatenus perit ex natura sua nostris actibus acquiri, sed ob aliquam dispositionem specialem illam Deus infundit, quo pacto iuxta communem sententiam Theologorum omnes habitus scientiae, & virtutes morales Adamo in statu innocentiae ante omnem eius exercitium fuerunt infusae, quia utpote omnium Parens, & in aetate adulta & perfecta creatus, omnes debebat intrinsece ad quod opus fuit perfectum fuisse a principio: Et iuxta valde probabilem aliquorum sententiam fuerunt infusa Christo Domino. Sententia quae huius non procedit de virtutibus infusis hoc posteriori modo, sed priori.

29 In qua duplex versatur sententia. Prima asserit, possibiles esse virtutes morales per se infusas ordinis supernaturalis essentialiter distinctas ab acquiritis, & virtutibus theologis, quarum aliquae recipiuntur in appetitu sensitivo; nulla vero earum acquiritur nostris actibus. Ita D. Thomas in praef. quaest. 63. art. 3. alisque in locis, Capreol. in 3. dist. 33. quaest. 1. art. 2. Hospital. Caiet. Medic. Conradus, Curiel, Montef. ceterique discipuli D. Thomae, & inter eos N. Salmant. in praef. disput. 3. dub. 1. & sequentibus: Quibus adherent Recentiores Societatis Valentia in praef. disp. 4. quaest. 3. punct. 4. Suarez, Vazquez, Salas, Oviedo, Lorca, & Ganados, & alij. Secunda negat huiusmodi virtutes. Ita Scotus in 3. dist. 36. quasi vnicuique, & Scotista omnes tam veteres, quam recentiores, & Nominales: Quam sententiam alij, vt Capreolus, censent esse erroneam: Alij, vt Conradus, esse contra distinctionem Ecclesiae: Alij, vt Medina, vocant *temerariam*, & de quibusdam virtutibus esse de fide. A quibus censuris nos abstinemus.

6. I. Prima, & potissima assertio existentiam harum virtutum stabilium.

31 Dicendum est primo cum prima sententia, possibiles esse, & defectus deestere virtutes morales per se infusas, seu supernaturales. Haec secunda conclusionis pars consistit ex probatione prioris, & praecipue ex solutione argumentorum.

Et probatur ratione fundamentali deducta ex D. Thomae supra relato art. 4. Et potest reduci ad hanc formam: nam possibilitas alicuius entis nequit negari, nisi repugnant aliquo ex eius principijs; sed nulla causa requisita ad virtutem moralem per se infusam, seu supernaturalem repugnat: ergo possibilis est talis virtus. Minor quoad causam efficientem, materialem, & finalem non negat Adversarij: siquidem Deus potest esse causa efficiens, si ex alio capite non repugnat, sicut est causa gratiae, & vir-

tutum theologiarum. Deinde potentia rationalis vt talis ratione potentiae obediencialis est sufficiens subiectum virtutis supernaturalis, ratione cuius intellectus est subiectum fidei theologicae, & voluntas spei, & charitatis. Denique potest ordinari ad beatitudinem supernaturalem, quae est absolute finis ultimus creaturae rationalis. Vnde solum restat difficultas quoad causam formalem extrinsecam, quae coincidit cum obiecto: nam si hoc non repugnat, nec repugnat causa formalis intrinseca, quae non distinguitur ab ipsa entitate virtutis.

Probatur ergo minor quoad obiectum: nam obiectum virtutis moralis est bonum honestum conforme regulis rationis, sed possibile est bonum honestum conforme regulis rationis, & distinctum a bono honesto virtutis moralis acquiritis: ergo non repugnat obiectum virtutis moralis per se infusae, seu supernaturalis. Minor probatur: nam alia est honestas in actionibus (vt g. elemosinae, iustitiae, castitatis &c. quatenus decent hominem, vt ordinatum ad finem supernaturalem capax gloriae civem Sanctorum, & domesticum Dei; ab ea quae est in ipsis actionibus, vt conducunt ad finem humanum vitae humanae, & prout decent hominem, vt concivem humanum: honestas enim haec posterior est naturalis, altera vero est supernaturalis: & colligitur ex eo, quod pluries non apparet inconueniens secundum regulas humanae prudentiae vti moderate cibis, non exponere se mortis periculo, imo ducere uxorem, & toties his laudabiliter abstinere: ergo possibile est bonum honestum conforme regulis morum, & distinctum a bono honesto virtutis moralis acquiritis.

32 Haec satis solido fundamento respondent Scotista cum suo Quotid. Doctore, negando obiectum honestum conforme regulis morum supernaturalis, & distinctum ab obiecto virtutis naturalis: sententiam enim idem esse obiectum tam materiale, quam formale virtutis supernaturalis, & acquiritis, & has virtutes solum distinguit per ordinem ad diversas causas per se efficientes. Hinc colligitur, non esse necessarias virtutes morales per se infusas, quia per virtutes naturales, & imperatas a charitate sufficienter ordinatur homo ad finem supernaturalem, & operatur vt civis Sanctorum, & domesticus Dei.

Haec evasio (quae continet genuinam mentem Adversariorum, & si breuiter explicatam) plura continet falsa. Nam imprimis falsum est, actum fidei infusae, & actum fidei naturalis non habere obiecta formaliter diversa, similiter actum charitatis infusae, & actum directionis Dei naturalis, vt constat ex dicendis, Deo dante, tract. de Fide. Deinde falsum est, habitum per se infusum, & habitum acquiritis distingui posse per ordinem ad causas per se effici-

cientes diversas, si aliis habent idem obiectum tam materiale, quam formale: Tum, quia contingit, res eiusdem speciei produci per se à causis specie diversis, ut liquet in mure producto à sole, & ab alio igne: & contingit res specie diversas produci ab eadem causa, ut constat in anima rationali, & Angelo, in fide & charitate. Tum etiam: nam nihil est firmius in Philosophia vera, quam quòd habitus, & potentie specificantur ab obiectis; & quòd, quæ versantur circa idem obiectum formale, sunt eiusdem speciei, ut passim concedunt Adversarij.

Deinde refellitur primò evidenti testimonio D. Thomæ quæst. de Virtut. art. 10. ad 8. ubi ait: *Dicendum, quòd temperantia infusa, & acquisita conveniunt in materia: utraque enim est circa dilectabilia tactus. Sed non conveniunt in forma effectus, vel actus: Licet enim utraque querat medium, tamen alia ratione querit medium temperantia infusa, quam temperantia acquisita: nam temperantia infusa exquirat medium secundum rationes legis divinæ, quæ accipiuntur ex ordine ad ultimum finem: temperantia autem acquisita accipit medium secundum inferiores rationes in ordine ad bonum presentis vite.* Ex quibus verbis.

32. Refellitur secundò ratione: Nam honestum morale conforme regulis prudentiæ per se infusa, & fidei supernaturalis est essentialiter diversum in ratione obiecti formalis ab eodem bono honesto, prout conformi regulis prudentiæ acquisitæ, & synderesis; sed idem obiectum, seu actus honestus moralis, videlicet, se exponere periculis mortis, uti cibis moderatè &c. potest esse proximè conforme regulis prudentiæ infusæ, & remote fidei supernaturali: ergo est formaliter diversum in ratione obiecti ab eodem bono honesto, prout conformi regulis prudentiæ acquisitæ. Maior potius eget explicatione, quam probatione: siquidem sicut in ordine naturali datur synderesis præstituens omnium actui, & obiecto morali finem honestum in communi; & prudentia acquisita præstituens fines honestos hic & nunc in particulari; ita in ordine supernaturali oportet, quòd detur fides supernaturalis præstituens naturæ humane finem ultimum supernaturalem in communi, & prudentia infusa præstituens fines honestos supernaturales hic & nunc in particulari. Ex quo minor probatur: nam se exponere periculis mortis, prout conducit ad beatitudinem, regulatur proximè à prudentiâ; non acquisita: ergo infusa. Maior per se patet: quia non regulatur proximè à fide. Præterquam quòd nequit alia regula assignari præter prudentiam) siquidem fides proximè solum regulat eos actus, qui non consistunt in medio rationis, uti sunt actus spei, & charitatis; & planum est hoc complexum, se exponere periculis mortis, prout conducit ad beatitudinem, consistere in medio rationis, cum possit vitari

per excessum, aut defectum: manet ergo, quòd regulatur proximè à prudentia.

Minor verò, in qua est præcipua difficultas, probatur: Nam prudentia acquisita solum quærit regulare prædictum actum, aut obiectum, prout conducit ad finem humanæ vitæ, aut ad bonum commune Reipublice: ergo, prout conducit ad beatitudinem, nequit regulari à prudentia acquisita.

34. Explicatur hoc, & simul confirmatur. Nam in ordine naturali præter finem ultimum dantur fines intermedij honesti, qui sunt obiecta virtutum moralium acquisitarum: ergo concedendi etiam sunt fines intermedij proportionati cum fine ultimo supernaturali; sed huiusmodi sunt supernaturales in ratione obiecti: ergo nequeant non concedi obiecta honesta supernaturalia, & distincta à seipsis, prout sunt fines ordinis naturalis, quæ alia non sunt, nisi ea, quæ supra retulimus, prout conducunt ad beatitudinem. ¶ Nec refert dicere, prædicta obiecta quoad substantiam esse naturalia, & quoad modum prout ordinata per charitatem esse supernaturalia. Non (inquam) refert: Nam concedenda sunt obiecta honesta quoad substantiam supernaturalia: ergo distinguuntur quoad substantiam ab obiectis virtutum naturalium. Antecedens probatur: nam sicut conceduntur obiecta, quæ secundum se sunt fines intermedij, & proportionati cum fine naturali pro priori ad relationem immediatam ad illum, ita concedenda sunt obiecta, quæ secundum se & pro priori ad imperium charitatis sint proportionata ad finem ultimum supernaturalem; sed hæc nequeant esse obiecta quoad substantiam naturalia: ergo oportet, quòd sint obiecta quoad substantiam supernaturalia.

35. Hinc inferri debent actus virtutum moralium entitativè supernaturales; sed huiusmodi actus nequeunt elici à virtutibus naturalibus, nec à charitate: ergo concedenda sunt virtutes illos immediate elicientes. Maior est certanum, concessis obiectis supernaturalibus, nequeunt non admitti actus eiusdem ordinis, ab illisque specificari. Minor quoad primam partem, semel concessa maiori, non negatur ab Adversarijs. Quoad secundam verò probatur: Tum, quia virtus sufficiens ad attingendum finem naturalem non est sufficiens ad elicendos omnes actus morales ordinis naturalis, aliis superflue essent ceteræ virtutes morales acquisitæ: ergo nec charitas est sufficiens ad elicendos actus omnes morales supernaturales. Tum etiam: nam prædicti actus sunt specie distincti ab actu proprio charitatis, ad eorum potentia, adhuc supposita charitate, habet specialem difficultatem: ergo ideam, quòd prius. Tum denique: nam plures ex illis eliciuntur ab appetitu sensitivo, charitas verò recipitur in voluntate: ergo in eo ponendi sunt habitus, qui illos proximè eliciant.

§. II.

Duplex alia assertio subiectum, & causam designans.

36. Dicendum est secundò, appetitum sensitivum posse esse subiectum virtutis moralis per se infusæ. Hæc assertio directè procedit contra Scotum, assertentem nullam virtutem residere in appetitu sensitivo, sed omnes in voluntate, & intellectu. Et probatur ratione: nam virtus debet recipi in illa potentia, ubi est proprius illius actus consummative; sed actus proprius (v. g.) temperantiæ, & fortitudinis per se infusa est in appetitu sensitivo consummative: ergo etiam ipsa virtus per se infusa. Minor probatur: nam actus fortitudinis, & temperantiæ acquisitæ consummatur in appetitu sensitivo: ergo etiam actus fortitudinis, & temperantiæ per se infusæ. Antecedens supponitur ex dictis dub. 2. Et consequentia probatur: nam ideo actus temperantiæ acquisitæ consummatur in appetitu, quia versatur circa passiones concupiscibiles, moderantio eas iuxta regulas prudentiæ naturalis; sed etiam actus temperantiæ infusæ ordinatur ad moderandas easdem passiones, cum differentia tantum in ordine ad superiorem finem, & prudentiam infusam: ergo etiam actus temperantiæ per se infusæ consummatur in appetitu sensitivo.

37. Respondens, esse notam disparitatem inter actum temperantiæ acquisitæ, & actum temperantiæ per se infusæ: quòd ad priorem nullus habitus requiritur ex parte voluntatis, quia ex se est sufficienter rectificata ad bonum naturale proprij suppositi, secus verò ad bonum supernaturale. Supposito verò habitu supernaturali in voluntate in ordine ad bonum supernaturale proprij suppositi; prædictus habitus est sufficiens ad rectificandum actum appetitus sensitivi, quin opus sit alio habitu in eo existente; sicut necessario contingit in rectificatione actus externi.

Contrà est: Nam actus appetitus sensitivi rectificatus rectitudine supernaturali intrinseca potest elici ab eodem appetitu rectificato rectitudine aliqua supernaturali habituali, aliis ipse appetitus esset virtus ad aqua proxima prædictæ rectitudinis supernaturalis: ergo oportet tam in voluntate movente appetitum, quam in ipso appetitu moto dari aliquid habituale ad rectitudinem actus voluntatis moventis, & ad rectitudinem actus, ad quem appetitus movetur (& hinc reduct vis nostræ rationis) sed habituale supernaturale requisitum ex parte appetitus potius obinet rationem virtutis, quam habituale requisitum ex parte voluntatis: ergo in eo residet virtus temperantiæ infusæ. Minor subsumpta probatur: nam habituale requisitum ex

parte voluntatis tantum importat rectitudinem temperantiæ inchoativè, in appetitu verò sensitivo completivè: homo enim non est completè temperatus, quia vult actum temperantiæ, sed quia elicit per appetitum sensitivum actum ipsum temperantiæ; aliis in Deo, & in Angelis volentibus nos esse temperatos esset virtus temperantiæ: ergo habituale requisitum ex parte appetitus ad rectitudinem supernaturalem actus temperantiæ habet, quidquid requiritur ad rationem virtutis. Exemplum actus externi non est ad rem: quia in eo non est aliqua rectitudo moralis intrinseca, sed tantum extrinseca, ut alibi diximus.

38. Dicendum est tertio, huiusmodi virtutes morales per se infusæ non posse acquiri nostris actibus. Ita colligitur ex Div. Augustino, qui distinctioni virtutis addit hæc ultimas particulas, *Quam Deus in nobis sine nobis operatur*: Ex quibus colligunt Doctores, Augustinum solum diffinisse virtutem supernaturalem, & per se infusam; quamvis, ablati prædictis verbis, illius diffinitio sit communis omni virtuti: ergo, iuxta D. Augustinum, virtus supernaturalis, & per se infusa non est acquisibilis nostris actibus. ¶ Confirmatur ex D. Thom. tum in præsent. quæst. 64. art. 4. maxime ad 4. tum quæst. de Virtut. art. 10. ad 13. ubi ait: *Aliquid est in potentia in anima, quòd non est natum eluci in actum, nisi per virtutem divinam: & sic sunt in potentia in anima virtutes infusæ.*

Et probatur ratione: Nam nulla creatura potest producere principaliter gratiam habitualem: ergo neque potest producere virtutes supernaturales, & per se infusæ. Antecedens supponitur. Et consequentia probatur: nam ille solus potest producere proprietates alicuius nature, qui valet producere ipsam naturam; sed virtutes per se infusæ sunt proprietates gratiæ: ergo si nulla creatura potest producere principia passivè gratiam; neque potest producere virtutes per se infusæ. Maior: debet in præsent. supponi potius, quam probari, ex illo principio, *Qui dat formam, dat consequentia ad formam*. Quod rectè enucleat N. N. Compliat abrev. in Physic. disp. 10. quæst. 5. Minor probatur: tum ex D. Thom. infra quæst. 110. art. 4. ad 1. & 3. part. quæst. 62. art. 2. ubi ait, quòd omnes supernaturales virtutes se habent ad gratiam, sicut naturales potentie ad animam: nam sicut anima indiget potentijs ad omnes suas operationes, ita gratia, ut potè natura in linea supernaturali, indiget virtutibus ad elicendos actus supernaturales; sed hæc ratione potentia sunt vere proprietates animæ: ergo etiam virtutes sunt proprietates gratiæ. Tum etiam: nam charitas est vera proprietates gratiæ, ut nullus negabit; sed eadem ratio militat in alijs virtutibus per se infusis: siquidem sunt tota virtus agendæ sicut & ipsa, & hæc de causa includunt quodam

modò rationem potentie in ordine ad suos actus: ergo sunt vere proprietates gratie. *Accedit:* Quòd prædictæ virtutes comparantur ad gratiam, sicut attributa divina ad Dei essentiam; sed attributa essent quasi proprietates Dei, nisi obflaret mutua identitas, & inclusio: ergo.

39. Respondetur primo, ex prædicta ratione tantum sequi virtutes Theologicas esse proprietates gratie: quia hæc solæ comparantur ad gratiam, sicut potentie ad animam; ut colligitur ex Div. Thom. in hac 1. 2. quæst. 62. art. 3.

Contra est: Nam respectu anime nostræ non solum sunt proprietates intellectus, & voluntatis, sed etiam omnes aliæ, quæ ad alias operationes sunt necessariae: ergo respectu gratie etiam sunt proprietates illarum virtutes, quæ necessariae sunt ad omnes operationes connaturales gratie; sed in ordine supernaturali dantur aliæ operationes præter theologicas, quarum virtutes theologales non sunt sufficientia principia, ut liquet ex dictis pro prima assertione; ergo non solum virtutes Theologales, sed etiam morales persè infusæ sunt proprietates gratie. Ex doctrina Div. Thomæ solum potest colligi, quòd virtutes theologales sunt vere proprietates gratie, sed non solæ.

40. Respondetur secundò, in Deo non dari attributa correspondentia fortitudini, & temperantie infusis. Unde non est, cur sint proprietates gratie, quæ est participatio formalis naturæ divine.

Contra est: Nam gratia est participatio divinitatis naturæ; prout hæc continet eminenter omnes virtutes morales: ergo ab ea dimanare possunt per modum proprietatis in subiecto capaci: & quia Angeli non sunt capaces virtutum, quæ versantur circa passiones, nec Christus est subiectum capax penitentiae, propterea non resultant in eis. *Adde primò:* Nam in Deo non sunt formaliter attributa correspondentia fidei, & spei, & tamen hæc virtutes sunt quoad emanationem proprietates gratie; quando hæc in baptismo infunditur parvulo: ergo idem potest, & debet dici de omnibus virtutibus moralibus persè infusis. *Adde secundò:* Nam non obstanti, quòd fides, & spes non sint rigorosæ gratie proprietates, & possint existere naturaliter sine illa, nihilominus non acquiruntur nostris actibus, sed infunduntur à Deo: idem ergo dicendum est de virtutibus moralibus persè infusis, quod non essent proprietates rigorosæ gratie. *Adde tertio:* Nam inter virtutes morales plures dantur vere, & formaliter in Deo, ut misericordia, iustitia, prudentia, & aliæ: ergo prædictæ virtutes in nobis sunt proprietates gratie.

§. III.

Scoti argumenta contra primam, & oppositæ ipsam assertionem.

41. **A**dversus primam, & potissimum assertionem (nullo argumento ab auctoritate, quia futile est) Arguitur primò à ratione: Nam nulla est necessitas ponendi virtutes morales persè infusas, & ab acquisitis essentialiter distinctas, sed satis est concedere acquiras: ergo non dantur. Consequenter liquet quia Deus nihil frustra agit, aut producit. Antecedens probatur: Nam satis videtur admittere, in baptismo illas virtutes infundi, quæ sunt ad salutem necessariae; sed hæc tantum sunt fides, spes, & charitas: ergo nulla est necessitas ponendi virtutes morales persè infusas.

Confermatur primò: Nam ad hoc virtutes sunt hominibus necessariae, ut fines suos debitos consequi possint; sed ad hoc non sunt necessariae virtutes morales persè infusæ: ergo non dantur. Minor probatur: nam duplex est finis, unus naturalis, & alius supernaturalis; sed ad consequendum finem naturalem sufficienter virtutes naturales & acquisite, & ad consequendum supernaturalem sufficienter theologice, & morales acquisite; ut informatæ per charitatem: ergo virtutes morales persè infusæ non sunt hominibus necessariae ad consequendos illos fines.

Confirmatur secundò: Nam nulla virtus moralis est possibilis, quæ persè ordinet hominem immediatè ad Deum, ut beatificantem, vel quæ habeat propriam obiectam honestum persè connexum cum bono divino: ergo non sunt possibiles virtutes morales persè infusæ. Consequentia est legitima: nam possibilitatem earum inde probavimus, quia ad est obiectum honestum & conducentis ad salutem. Antecedens probatur tertiò, quia ordinare persè hominem immediatè ad Deum ut beatificantem, est proprium fidei, spei, & charitatis. Tertiò etiam: quia nullum bonum honestum persè est connexum cum bono divino, nisi prout ordinatur per charitatem, cuius est obiectum. Tum denique: quia si hoc posset de aliqua virtute verificari, maxime de religione, & penitentia; sed obiectum harum virtutum non est persè connexum cum bono divino, quia potest specificare virtutes naturales: ergo.

42. En præcipuum fundamentum Scoti ad negandas virtutes morales persè infusas; sed eius debilitas satis constat ex dictis pro prima assertionem. Ad illud ergo respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est primò, quòd in sententiâ omnium, non solum requiruntur virtutes theologales ad salutem consequendam, sed etiam virtutes morales, saltem ut imperat à charitate, præscindendo ab infusis, & acquisitis. Rorò virtutes acquisite

Dub. V. Utrum dentur de factò virtutes morales supernaturales &c?

nequeat imperari à charitate, nisi medio imperio virtutum persè infusarum, ut aperte colligitur ex Div. Thom. quæst. de Virt. art. 10. ad 4. quia sunt disproportionatæ cum illa; ob quam rationem actus secundum se indifferentes, nisi ordinentur formaliter ad finem honestum, nequeunt virtualiter imperari à charitate. Sed ne alligetur tota hæc controversia huic speciali modo dicendi, cuius ob hanc causam non meminimus decursu disputationis.

Respondetur secundò ad eandem probationem: quòd necessitas ponendi prædictas virtutes est, quia oportet dari in ordine ad vicinum finem quosdam fines intermedios cum illo proportionatos, & qui connaturaliter ordinentur per charitatem ad illum. Obiecta autem honesta virtutum naturalium sunt ex se disproportionata in ordine ad finem supernaturalem: ob quam rationem licet absolute possint ordinari ad illum per charitatem, ordinatio tamen hæc non est illis connaturalis, cum non sint media, aut fines intermedij proportionati cum illo: ideoque assignantur obiecta honesta, prout pertinent ad vitam superiorem gratiæ, quæ sunt fines intermedij, & proportionati cum fine ultimo prædictæ vite. Quam solutionem desumpimus ex Div. Thoma loco proxime citato ad 9. ubi ait: *Dicendum, quòd ultimus finis non dat speciem in moralibus, nisi quatenus in fine proximo est debita proportio ad ultimum finem: oportet enim ea, quæ sunt ad finem, esse proportionata fini.* Per quod constat ad primam confirmationem.

43. Ad secundam respondetur, quòd obiectum aliquod bilariam potest ordinare hominem ad Deum, vel se connecti cum bono divino; vel per relationem actuali, sive formalem, sive virtuales immediatam; vel per relationem radicalem ratione proportionis, quatenus existens in ordine supernaturali est ex se apertum proxime, ut possit priorem relationem recipere. Fatemur equidem, quòd nulla est virtus moralis, quæ priori modo ordinet hominem ad Deum, nec est vllam bonum honestum, quod ex se habeat primam connexionem cum Deo ut beatificantem, vel ut est summum bonum supernaturale. Non tamen repugnat virtus, quæ posteriori modo ordinet hominem ad Deum; nec obiectum, quod eodem modo connectatur cum bono divino beatificanti. Sicut in naturalibus non omnia obiecta honesta habent actualem relationem ad Deum vicinum finem naturalem: habent tamen omnia proportionem sufficientem cum illo, itaut ordinatio actualis ad illum sit eis connaturalis: nam nequit negari, quòd prior ad relationem ad aliquem finem naturalem: quædam media ex se proportionata cum illo, quatenus sunt in eodem ordine cum eo. Eodem modo discurrimus de obiectis honestis virtutum persè infusarum, quatenus terminant earum

actus ex motivo supernaturali. Per quod patet ad primam, & secundam probationem.

Ad tertiam respondeatur, quòd dato quòd obiecta religionis, & penitentiae possint specificare virtutes naturales, etiam possunt specificare supernaturales ex diverso motivo: nam priores specificant ex motivo naturali, & prout conducunt ad finem naturalem, & ad humanam & terrenam vitam; posteriori verò, prout conducunt ad vitam gratiæ, & finem supernaturalem. Quod de penitentia necessario fatendum est: nam Concilium Tridentinum sess. 6. can. 3. inter actus ad iustificationem impij requisitos recenset penitere, qui actus nequit esse naturalis, sicut nec diligere, & credere, qui sunt dispositiones ad iustificationem; neque elicitivè provenit à charitate, cum procedat sub diverso motivo. Et de religione etiam potest ostendi; siquidem eius obiectum est cultus Deo exhibitus, tanquam primo omnium principio: si ergo offeratur illi ut est principium eminens, & supernaturale, debet specificare religionem supernaturalem; & distinctam à naturali, quæ præcisè tribuit cultum Deo; ut principio naturali.

44. Arguitur secundò: Nam si daretur virtutes morales persè infusæ, daretur de eis præceptum obligans, sicut datur de fide, spe, & charitate, sed hoc non admittitur: ergo non datur. Maior convinci videtur patetate in ea inclusiva. Minor verò probatur: Nam nullus se accusavit hucusque non implevisse præceptum de temperantia (V. g.) supernaturali: ergo signum est non dari præceptum de ea. Patet consequentia: nam peccata directe opposita prædictis virtutibus, & præceptis de eis, ut potè specie distincta à peccatis oppositis virtutibus naturalibus, forent in confessione sigillatim aperienda.

Et confirmatur: Nam nullus, nisi actibus virtutum naturalium repetitis, se sentit liberum à vitijs oppositis: ergo non dantur virtutes morales persè infusæ. Consequentia probatur nam hæc, iuxta dicta pro tertia assertionem, essent ante, & independenter ab omni exercitio potentialium; sed effectus formalis virtutis est expellere à subiecto vitia contraria: ergo si antecedenter ad actus virtutum naturalium non datur vitiorum expulsio, eò erit, quia non sunt possibiles nisi virtutes naturales nostris actibus acquisite. Quæ confirmatio potest extendi ad facilitatem: siquidem de novo iustificati non facilis eliciunt actus virtutum, quam antea, sed sentiunt eandem difficultatem ad illos eliciendos, & experiuntur inclinationes vitiorum præexistantium: ergo signum est, quòd non dantur virtutes infusæ, vel sunt superflue.

45. Argumentum cum sua confirmatione manifestè instatur in donis Spiritus sancti, quæ secundum illud Isaie 11. *Et requiescit super eam*

sum &c. nequeunt non catholicè admitti, sanè pluribus vitijs opposita, & elicitiua actuum supernaturalium quoad substantiam; quidquid dicant Societas: vnde quidquid Adversarij dixerint circa præceptum de eis, impossibilitatem eam vitijs, & modum se gerendi in confessione, debet proportionabiliter applicari virtutibus infusis.

Ab solore tamen responderetur, negando minorem: quia videlicet datur præceptum expressum de penitentia supernaturali, quæ inter virtutes morales recensetur, cuius violatio est peccatum contra Spiritum sanctum, vt rectè notant NN. Salmanticenses de Peccatis disp. 8. num. 20. & de religione eisdem supernaturali forte extat præceptum positivum, iuxta illud: Dominum tuum adorabis, & illi soli servies. Vnde falsa est illa minor. Cuius probatio parùm premittitur: quia peccatum, vt sit tale, debet esse contra aliquod præceptum, vt obiectio supponit. Notant tamen prædicti Authores loco citato à num. 20. quod licet sint præcepta negativa de omnibus virtutibus persè infusis, quo pacto est speciale peccatum positivè operari contra earum motiva (Quis enim neget esse peccatum grave contra positivè contra motivum virtutis supernaturalis?) at præceptum affirmativum non datur, frequenter nisi de actibus naturalem virtutum; ac proinde eorum omnisio tantum est peccaminosa, & penitus satisfaciæ præcepto confessionis, si dicat se egisse contra temperantiam (v. g.) nisi adit specialis lex: vt videtur est in ieiunio Ecclésiæ, cuius transgressio, est contra temperantiam, solum sit gravis ratione legis. Videantur Authores relati ibi rem diffuse & acurè explicantes.

46. Ad confirmationem responderetur, quod est virtus persè infusa non det respectu actus facilitatem extrinsecam, quæ consistit in remotione impedimentorum, vt præstatur à virtute acquisita; tribuit tamen facilitatem persè & intrinsecam, quæ consistit in eo, quod elevet potentiam ad actum perfectum & completum. Vnde non est mirum, quod iustus experiat in principio inclinationem vitiorum præexistentium: quia vitia non opponuntur directè, & immediatè virtutibus persè infusis, sicut opponuntur acquisitis, vt fortè dicemus tract. de Peccatis. Et hæc est ratio, cur vitia in gradibus intensius remaneant quoad entitatem in sensu composito iustificationis, & virtutum infusarum, & pluries conetur in proprios actus prorumpere; ad differentiationem virtutum acquisitarum, quæ iuxta suam intentionem physicè debilitant vitia contraria, in quo exceduntur ab illis virtutes infusæ. Sed virtutes infusæ habent aliquid, in quo exceduntur ab illis virtutes acquisitæ, nempe, quod vitia in sensu composito, virtutum acquisitarum possunt prorumpere in proprios actus, secus verò in sensu composito virtutum

infusarum, nisi circa res parvas, quæ gratiam non destrunt. Pro quo videatur Div. Thom. quest. de Virt. art. 10. & NN. Salmantic. in præf. à num. 34.

IV.

Argumenta contra secundam, & tertiam assertionem.

47. A Dversus secundam assertionem militant omnia ferè argumenta adducta dubio 3. §. 2. Quibus addimus ea, quæ specialiter militant contra virtutes supernaturales. Vnde arguitur primò: Nam virtutes reficere in subiecto, vbi est eius actus; sed actus (v. g.) temperantiæ infusus non est in appetitu sensitivo: ergo nec virtus. Minor probatur: nam omni actus virtutis persè infusus est entitativè supernaturalis; sed nullus actus appetitus sensitivi potest esse entitativè supernaturalis: ergo actus temperantiæ infusus non est in appetitu sensitivo. Vtraque præmissa est probanda. Sed prius maius, vt ex differentia, inter virtutes infusas, & acquisitas, quæ stat in eo, quod infusa dat simpliciter posse, & acquisita solum facilitatem; sed hæc differentia non satis constaret, nisi actus infusus esset entitativè supernaturalis, cum etiam virtus acquisita det posse ad moralitatem, vt diximus dispo. præced. num. 34. ergo actus virtutis infusus est entitativè supernaturalis. Adde: Nam actus elicitus à virtute supernaturali nequit non distingui ab actu elicito à virtute naturali, & imperato à supernaturali; sed hic quoad modum esset supernaturalis: ergo illa etiam debet esse quoad entitatem.

Deinde probatur minor: quia actus appetitus sensitivi sunt passionis, vt docet D. Thom. supra quest. 22. art. 3. Sed passionis non sunt entitativè supernaturales: ergo nec actus possunt esse entitativè supernaturales. Tam etiam: nam obiectum est entitativè naturale, quia est naturalis: cibis, & naturalis comestio (v. g.) ergo idem quod prius. Tam denique quia id colligitur ex D. Thom. 3. dist. 32. quest. 1. art. 2. quest. 4. ad 2. vbi docet, actum virtutis infusæ non distingui quoad entitatem ab actu acquisitæ.

Et confirmatur: Nam huiusmodi virtus recepta in appetitu sensitivo nequit esse spiritalis, aut corporea: ergo nequit in eo recipi. Antecedens probatur quoad primam partem: quia in subiecto corporeo nequit recipi aliquid spirituale permanentè, propter rationes traditas à N. Complut. abbrev. de Anima disp. 2. num. 25. vbi docent, accidens spirituale non posse recipi in subiecto corporeo permanentè, quia dependet in suo fieri ab eo, & commentaturur com. co. Tam etiam: quia eius actus etiam esset spiritalis, & consequenter potentia corporea posset

set elevati ad videndum Deum. Quoad secundam partem etiam probatur: nam nihil corporeum potest esse supernaturale; cum nequeat esse participatio formalis alicuius existentis in Deo: ergo nec spiritalis, nec corporea.

48. Ad argumentum responderetur, concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius primam probationem dicendum est, nullam esse repugnantiam in eo, quod actus, qui dicuntur passionis, sint entitativè supernaturales; quamvis nomina passionum non rectè appropriantur eis, quia male sonant, nimirum, prout inclinant ad malum. Ad secundam dicendum est, quod licet obiectum sit entitativè & materialiter naturale; formaliter tamen est supernaturalis: quia attingitur sub motivo supernaturali. Ad tertiam responderetur, D. Thom. solum velle, quod actus virtutis infusus, & acquisitæ sit idem materialiter, id est, obiectivè: quia habent idem obiectum materiale, & versantur circa eandem materiam; non quod sit idem in se & intrinsecè.

Sed probabilius responderetur secundò ad eandem probationem, negando maiorem: Quia non inconvenit, quod virtus moralis sit entitativè supernaturalis, & non correspondeat ei ex parte actus, nisi modus supernaturalis; ad distinctionem virtutis theologice, cuius actus petit esse entitativè supernaturalis. Et ratio discriminis est: quia virtus moralis tantum petit producere modum rectitudinis, & entitatem vt fundantem prædictum modum; secus verò virtus theologica, quæ habet obiectum quoad substantiam supernaturale, & hæc ratione eius actus etiam quoad entitatem debet esse supernaturalis. Ad probationem dicendum est, differentiam inter virtutes acquisitas, & infusas stare in eo, quod rectitudinem actus naturalis potest, et si difficulter, homo producere ex participatione potentia superioris existentis in ipso, & hæc ratio eius virtus acquiritur nostris actibus. At rectitudinem actus virtutis infusæ nequit homo vilo modo producere, nisi potentia à Deo elevetur per eam. Et hæc ratione docetur, quod est tota ratio agendi absolute, licet virtus acquisita, dum existit, etiam dicatur tota ratio agendi.

49. Ad additamentum responderetur, quod licet actus elicitus à virtute supernaturali conveniat cum actu naturali ab ea imperato in eo, quod vtraque habet præcisè modum supernaturalem; aliter tamen, & aliter: quia actus naturalis habet prædictum modum in genere moris accidentaliter, & actus virtutis infusæ essentialiter. Vnde in genere moris distinguuntur essentialiter, quamvis in genere physico non distinguantur.

Ad confirmationem responderetur, negando antecedens quoad secundam partem. Ad cuius probationem dicendum est, quod neque ex ratione corporeitatis, nec ex ratione participationis repugnat aliquid corporeum esse supernaturale. Non ex primo capite: nam præsentia

sacramentalis Christi Domini est corporea & supernaturalis: Item unio hypostatica corporis Domini in triduo erat corporea, & supernaturalis. Neque ex capite secundo: quia vel non est participatio formalis, sed tantum virtualis Dei, eò quod in Deo non existunt formaliter similia prædicata: Neque ex hoc sequitur, quod non sit supernaturale; aliis nec fides, nec spes essent supernaturales. Vel si est participatio formalis, sufficit ad hoc, quod in Deo existant eminenter huiusmodi prædicata.

50. Adversus tertiam assertionem, missis argumentis, quæ militant contra gratiam, & charitatem præcipuam proprietatem illius, quia non sunt presentis loci: Arguitur hoc unico argumento, quod est presentis tractatus: nam virtus naturalis acquiritur nostris actibus: ergo etiam virtus infusa potest acquiri. Consequentia sic probatur: quia actus supernaturalis non minus perfectus est in sua linea, quam actus naturalis: ergo si virtus naturalis potest nostris actibus acquiri, etiam supernaturalis. Tum etiam, & præcipue: nam ideo virtus naturalis potest nostris actibus acquiri, quia dimanant à natura quadam potentia superioris, vt intellectus agens, & possibilis, & voluntas, quæ possunt decidere aliquam virtualitatem in inferiores; qua actuata producant naturales virtutes; vt hæc propugnativus dispo. 1. ergo similiter ex fide, & charitate proprietatibus superioribus gratiæ descendere potest aliqua supernaturalitas, qua actuata potentia inferiores poterunt principaliter virtutes morales supernaturales producere.

Responderetur, concesso antecedenti; negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia virtus naturalis non est proprietates alicuius nature, virtus verò supernaturalis non solum theologica, sed etiam moralis est proprietates gratiæ. Nam sicut in ordine naturali respectu animæ nostræ assignantur proprietates pertinentes ad gradum intellectuales, & sensitivum, ita oportet assignare proprietates gratiæ prædictis gradibus proportionatè. Vnde sicut homo actuatus intellectus, & voluntate nequit sibi acquirere potentias inferiores, ita anima actuata per gratiam, fidem, & charitatem nequit sibi acquirere virtutes morales supernaturales: Et in hoc stare paritas, si rectè procederet argumentum, secus verò inter virtutes morales naturales relatè ad potentias superiores; & supernaturales relatè ad fidem, & charitatem.

